

Prope unam canalis extremitatem e. g. in G, (Vid. Fig. 47. num. 1.) ex Autoris præscripto fissura fieret, longitudinem dimidiām digiti adæquans latitudine verò dorsum cibarii cultri non excedens: id quod tandem, factâ primi hujus canalis terendo diffraicti jacturâ, in altero feliciter successit, supra lateris cocti dorso, arenæ madefactæ subsidio, extremitatem illam tamdiu terentibus, donec attenuata maximè isto loco lamina vitrea rimulam ageret, quam postea ope forcipæ prolongare & ampliare pro lubitu licebat. Non patiebatur autem vitri nativus rigor & fragilitas, ut satis æquabilis hujus fissuræ amplitudo evaderet, neque cultri dorsum uspiam excederet: quamobrem chartulis utrinque pluribus superagglutinatis, debitam fissuræ formam conciliavimus, & ne fissura hæc per canalis superiora intropicienti statim esset obvia, partem illam canalis chartâ turcicâ, quam vocant, undique teximus, denique partim ornatûs ac firmitatis, partim verò necessitatis ergo, utrumque tubi extremum A & B orbiculis sive annulis è solido ligno tornatis communivimus, quorum alter ad A cavitatem quandam instar capsulæ habebat, cui replendæ orbiculus coriaceus indi posset ad obtendum hoc alterum tubi utrinque aperti foramen.

IV. Sic parato sclopeti tubo loculus etiam parandus erat, cui sclopotorum more insereretur. Is verò (quem Num. 2. depingit) peculiare nihil habebat, nisi quòd intra cavitatem cylindraceam, quæ tubum sclopeti recipit alia adhuc profundior fossula ab a ad b usque erat excavata, quæ circa b foramine notabili deorsum patebat in canaliculum c: Huic receptaculo inserebamus tubum A B, ita ut fissura G deorsum in cavitatem sive fossam a b hiaret, illitis prius undique hujus oris cerâ resinosâ quæ commissuras ejus cum inserito tubo contra aëris egressum muniret, cui eò certius prohibendo etiam exteriore commissuræ undiquaque eadem cerâ sedulò obturabantur. Hoc modo paratum jam penitus sclopetum applicabamus epistomio recipientis exhausti,